

083

081

087

68

dicebant esse obsessam a daemone: hanc videndam et examinandum mihi exhibuit, ut judicarem, quid esset cum ea agendum: si adjuranda esset, vel non: hoc autem fuit meum judicium, quod destructa esset in capite, et ideo potius medicorum quam theologorum curae esset committenda. Hoc sic terminato, dixi domino Comiti meam profectionem jam inceptam, et petivi eum, ut mihi servum adjungeret, qui usque ad Alpium radices me conduceret, quia usque ad id spatium est nonnunquam satis insecurum et timebam ibi equitare solus. Assumpto ergo famulo mihi adjuncto eodem die a Thyssa recessimus usque in Memmingen, et ibi pernoctavimus.

077

092

072

132

032

182

Quinta decima die festine a Memmingen usque in Campidonam equitavimus, et ibi simul manducavimus; post prandium licentiavi famulum a me, jubens eum redire ad dominum suum. Ego vero ad radices montium veni cum magna festinatione. Timui enim, quod Domini mei ante adventum meum de Pontina (Insprugg) recederent, et veni usque in villam Ruti, quae est sita super Licum fluvium, quem vulgares Lech nominant, ibique pernoctavi. (B)

Sexta decima die mane solus de Ruti exivi et in Rhaeticas alpes subii: ibi enim est ingressus in Rhaeticas alpes et praecipus ascensus tempore pluvioso pessimus et profundus luto. Malam viam valde habui, quia praecedenti die pluerat, et in nocte postea cecidit nix super lutum, nec potui videre paludes et foramina profunda. Et ita equus, quem manu sursum duxi, omni passu in profundum mergebatur usque ad ventrem: et ego similiter usque super genua. In foveis vero profundius mergebamur. Tandem autem per clausuram Rhaeticarum alpium, quae dicitur Ehrenstein, ingressus veni usque ad ascensum montis Fericii, quem cum ascendisem et ex alia parte descendissem, vidi mihi adhuc superesse multum de die; et pertransivi villam Nazarith, et iterum ad montana valde alta ascendi, et perveni in villam Schneckenhusen, ibique pernoctare decrevi. Porro in ipso hospitio sedebant focii minerarii de argentifodinis, qui ludabant, bibebant, et voluptatibus deserviebant, quorum suspecta erat mihi societas, et cautus fui in conversatione cum eis. Posuit

Ende

Anfang

